

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

pro me & nostra Ecclesia fufis. Verfamur in magnis periculis. Indefinenter nobiscum orate. Ego Deo gratias ago, quòd bono sum & lato ac nondum fracto animo: Dominus JESUS robur illud nobis augeat omnibus. Cives apertè dicunt, si templum vitandum fit, se sponte sua omnes exulatum egressuros. Libellorum meorum defyderium non me solum, sed plurimos etiam alios, discipulos præsertim, & ordinandos, permagnum tenet. Utinam circiter centum saltem haberem, donec reliqua exemplaria deferrentur. Willero ea de te scripsi. Noster Erhardus exilium item expectat. De Carinthiorum subscriptione te per Prunnerum certiorum feci. Plura scribere jam nequeo. Incredibile est, quot negotiis & interpellationibus & scribendis literis quotidie soliciter. Utinam propinquiores essemus, quòd crebrius & citius literæ inter nos commeari ultrò citroq; possent. Scripsi nuper D. D. Davidi Chytræo, sed haud dubiè nondum ad eum perlata sunt literæ. Ex tuis expecto, quid egerit apud vos, & quo loco sit Apologia Concordiæ &c. Precor ut à me Reverendos Dnn. Doctores omnes salutes. Miror D. D. Joachimum Struppium, quem mihi apud vos esse constat, nunquam vel uno verbulo nedum literula salutare. Si fas est, mone quæso hominem veteris amici, & eum quoque ex me saluta. Bene vale, Reverende Domine & æquè atq; anima mea chare mihi frater. Datum Græcii festinanter, 23. Decembr. anno 1582.

R. T. E.

debita cum observantia colens

Jeremias Hombergerus, D.



LVIII.

S. Quinto Januarii tandem accepi tuas literas cum binis exemplaribus utriusque mei libelli. Misit eas ad me Dn. Doctor Hauffstein, socer tuus, quem interea, propter alias occupationes, convenire nequivi, ut cognoscerem, ubi gentium tamdiu hæssissent. Hinc decimo septimo Januarii rediit ad me Prumerus noster & tuas literas eodem mense scriptas mihi attulit. Et hæc hætenus sunt postrema literæ, quæ tuo nomine mihi redditæ sunt: In utrisque hoc me valde sollicitum reddit, quòd animadverto, meas literas non omnes tibi esse redditas, & quidem præcipuas vel interceptas periisse, vel alicubi adhuc hære in via. Possẽ remedium adhibere, si recordari possẽ, quid singulis temporibus ad te scripsissem. Sed quòd hoc minus possim, jam facit ea, quæ apud nos est, rerum perturbatio. Licet etiam jam tranquillum mare videatur, tamen nautis non est causa deponendi curas officii. Hoc mihi inci-

O o o o 3.

dit,

dit, quòd admodum placeret nobis, si subscriptiones nostras, cum præfationibus meis, & juxta dispositionem, quæ Augusta secunda vice ad vos per Dominos Legatos Illustrissimi Electoris Palatini missa est, evulgaretis. Hoc cum forsan in Concordiæ libro fieri nequeat, posteaquam prima forma tua bene considerata ratione facta illi jam inserta est, vellemus seorsum fieri in quodam libello. Cum autem dubitare cogar, an Legati vobis illam ultimam subscriptionem exhibuerint, nescio sanè, quid amplius faciam. In literis meis, quas Augustæ ad te mittendas reliqui apud meam socrum, petieram, ut scripta exigeretis à Legatis, si non statim darent. Idem adhuc modestè forsan per occasionem fieri posset. Ego denuò hinc ad te misissem, si tam citò descripta curare potuissem. Rogo autem, ut per hunc tabellarium me certiotem facias, an non interea & scripta & alias meas epistolas acceperis.

Cerinthiæ concionatores omnes subscripserunt. Domini eorum miserunt huc eorum subscriptiones, sed ita nuda nomina, ut Dominis nostris ab illis petendum videretur, ut mitterent originali conformia, sicut nos illis ab initio nostra originalia describenda dedimus. Cupivimus enim cognoscere adjuncta, ne forte cothurni inter illa delitescerent. Quid autem Dominis meis responderint, egò sanè ignoro. Stainerus in me, arreptis occasionibus, iniquior est, quasi imperium in ipsorum Ecclesias mihi quæram, & hoc nomine me omnibus invisum reddere satagit. Sed novit DEUS, quod mihi summam facit injuriam. Ego possum ferre, ut omnibus ille dominetur & ut ego in latibulo meo studiis me recreem, modò Ecclesiæ salus promoveatur. Tu nosti ejus animum, quam Pruggis tibi & mihi satis declaravit, parco igitur tuis auribus & meæ memoriæ.

Cum autem valde sollicitus sim, ne per occasionem (qualis esse posset Hesusiana turba) mutent sententiam, vel repositas esse velint subscriptiones ad futuram deliberationem, operam dedi, ut acciperem subscriptiones in ea forma, qua Stainerus eas alicui fratri communicavit. Illud scriptum, profus ut accepi, tibi per hunc mitto, & rogo, ut ommissa Staineri præfatione (quæ specialis ad Dominosejus est) prælo subjicias & libro Concordiæ inseras. Ad formam reliquorum conformare poteris. Si autem in separato libello cum nostris ederentur (quod valde opto) tunc integra, & tamen alia præfatione generali evulgari oporteret. Tuæ fidei committo.

Concionatores ad S. Vitum ejeti sunt. Nostri Senatores impetrarunt dimidium annum ad expediendam suam demigrationem. Fama est, nullum discessurum. Varia & inter se nequaquam consonantia accipiunt consilia, quæ sequantur, suspensis animis dubitant. Ego à meo non possum discedere, opus scilicet esse confessione ipso facto, auditu scilicet verbi DEI in nostra Ecclesia, cui sua sponte se incorporaverunt, ut sic loquar: Nisi ipsi peculiarem alere

alere pro se concionatorem concedatur. Miris technis à Cobenzelio & aliis inescantur. Ego timeo, ut constantia ipsorum perduret, quod tamen oro à patre cœlesti.

De meis libellis aliquoties sollicitavi, ut accipiam exemplaria pro nostra Schola & Ecclesia. Examen valde à multis magno desyderio expectatur. Erhardus nuper Augustiam ad Vuillerum profectus est, quem valde rogavi, ut deportari curet. Jam non possum, sed per proximam occasionem tibi scribam de mendis. In Examinis præfatione est cœlo pro zelo; Himmel und Cyffer seynd weit von einander. Observavi & alia valde crassa. De quibus licet docto lectori fidam, tamen posset in fine in exigua pagella commoneferi. Posset pagella inferi. Ego accingar propediem germanicæ interpretationi. Rogo autem, ut cum typographo agas, ut me certiozem reddat, an & illam typis suis evulgare velit. Si vult, mittam mature, volente DEO. Porro cum Examen illud referat se ad theses antea excusas sub titulo grani sinapis & promittat uterque liber pleniorẽ explanationem, quam superiori anno absolvi, vellem ut & illi duo libri apud vos excudi possent. Rescribe mihi de his omnibus. De cœna Domini Germanicas meas conciones valde optarim expressas esse. Sunt 30. & fiẽt plures, sed non multæ.

In Examine sub quæstione: Quæ sunt partes cœnæ Domini? valde perturbatum me reddit omisso unius syllabæ. Obscuratur enim & simul corumpitur sententia. Sic enim scriptum est. Signa verò sacra tam indignè quàm dignè sumentibus communia sunt corpus Christi sub pane, & sanguis Christi sub vino. Ibi autem vox prima debet esse non (signa) sed (signata) id est, signatæ res. Ego enim perspicuè volui declarare, quod non solum digni, sed etiam indigni corpus Domini & sanguinem ejus oretenus accipiant. Ideo duas res signatas facio, unas, quæ communes sunt dignis cum indignis: alteras, quæ solis dignis. Corpus & sanguis Christi communia signata, id est, res signatæ sunt dignis & indignis, gratia verò cum suo thesauro est signatum, id est, res signata solis dignis conveniens. Et sic simul volui discrimen hujus sacramenti, quo differt à baptismo, declarare. Vides ergò, quàm merito me perturbet omisso syllabæ, ea, quæ in mea manu hic scripto exemplari non omissa est. Omnino igitur opus est pagella inserta ad commonefactionem minus attentis lectoris. Sed de his propediem, spero, plura scribam. Jam te cum tuis omnibus DEO commendo. Mea valdè jam ægrota, tuam salutem. Est valde debilis, ut viræ ejus timeam.

Legati Colonienfium, qui professi sunt August. Confess. Augustæ à me impetrarunt Hortationem ad Senatam Colonienfem, quàm germanicè à me scriptam, Laudingæ excusam reddiderunt, & mihi non nisi unum exemplum ejus miserunt. In eo invenio illos valde multis in locis mutilasse meas sententias, &

tias, & ferè cothurnum ex libro illo fecisse, omittis, quæ scripseram, & per hiatus male junctis illis, quæ non cohærent, sicut exemplum mea manu scriptum, quod hic habeo, testatur. Hoc me pessimè habet, aded ut & publicè meum illud integrum scriptum alicubi edere cum expostulatione ad Legatos decreverim. Si cogitasset, eos ita mecum acturos, & mihi talem suspicionem moturos esse, utique mihi ab illis cavissem. Sed ita ego simplex fallor ab astutis. Si incidisti in illum librum, rogo, ut me excuses, donec meum integrum scriptum prodeat. Benè vale & collegas tuos & Dn. Superintendentem ex me saluta, chariss. frater. Data festinanter Calendis Februarii, anno 1583. Gratiæ.

I. I.

Jeremias Hombergerus.



LIX.

Salutem à filio DEI, Domino nostro Jesu Christo, Reverende & clarissime viri, Domine & frater in Christo charissime.

Quas Calendis Februarii ad te scripsi, te accepisse spero & per Prunnerum referptas tuas literas expecto. Interea Examen meum perlegi & errata notavi, cum crassa & cuius emendabilia, tum subtilia, quibus sensus non solum corrumpitur, sed etiam scædorum errorum crimine gravatur. Ut est illa detestabilis menda. fol. 16. facie 1. linea penultima, ubi venit, Est, pro, &. Ita enim manu mea scriptum reliqui, persona & proprietas ejus incommunicabilis. Verbum enim substantivum ex protasi seu anteriora clausula subintelligitur. Persona enim non est proprietas naturæ, sed est ipsa natura in individuo & incommunicabiliter, cum personali proprietate, quæ & ipsa incommunicabilis est, considerata. Est substantia individua per suam incommunicabilem proprietatem subsistens. Sensus igitur meorum verborum est. Natura cum suis proprietatibus est communicabilis, scilicet multis individuis seu personis: persona verò cum sua proprietate est incommunicabilis, id est, non potest aliis personis communicari. Persona & proprietas ejus, scilicet personæ, est incommunicabilis. Valla erravit, in Theologia definiendo personam, quod fit qualitas. Huic astipulari videret, si personam definirem esse proprietatem, quin & contradicerem positæ priori loco definitioni, in qua dico, eam esse *quod est in se ipsum* vivum, &c. Oro igitur, ut erratum illud gravissimum corrigatur per adjectam in fine pagellam. Suidas & alii dixerunt, *quod est in se ipsum* esse *in se ipsum*, *quod est in se ipsum* verò seu *quod est in se ipsum*. Omnia magni periculi aut vitii errata puncto sægol . . notavi. Si fortè nolletis omnia excude-